



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quomodò excitentur auditores ad amandam patriam. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Virga parcitis, indulgentia vestra deteriores efficitis, calamitatis vestrae artifices estis. Ad filios conuertens sermonem, B. Thoma sententia probabit, multo vehementiorem esse amorem parentū in filios, quā filiorum in parentes: quia est diuturnior, & quia de sanguinis coniunctiōe sunt certiores: grauisimū scelus esse, iniuria afficere illos, qui de nobis ita sunt benè meriti, quibus organū vsus est Dominus, vt in lucem veniremus. Obiurgandi sunt ingrati filij, & perterrefaciendi, & dicendum, eos Deum sine dubio vltorem habituros.

Quomodò impellendi sint coniuges ad mutuum amorem.

Cap. VII.

QUONIAM verò inter coniuges multa oriuntur discordia, multa rixae; necesse est saepe hortari, vt se mutuo diligant: ad quem amorem vbi excitati fuerint aliqui, quos earum satietas cepit; reprehendēdi sunt qui ardentius amant vxores suas, quā decet, ita vt adulteri videantur; & vt mancipia saepissimè seruiunt vxoribus suis, earum vanitati ita indulgent, vt patrimonium consumant. Vxores ad amandos viros suos excitandae sunt, ad fidem seruādam: saepe dicendum, bonas vxores de virorum suorum salute esse sollicitas, sanctificatos multos viros infideles per mulierem fidelem: quod Valeriani, qui sanctitate Ceciliae sanctificatus fuit, exemplo confirmari potest.

Quomodò excitentur auditores ad amandam patriam.

Cap. VIII.

ACCIDIT saepe, vt ad amandam patriam necesse sit auditores impellere; cum tā pauci reperian-

G

tur,

tur, qui proprijs cōmodis omnia non metiatur, & publicis commodis priuata non antepōnāt: amare patriam, est bene velle patriam, bonam & beatam illam cupere, atq; præclaris legibus & honorū omnium generibus cumulata. Quare qui adulationibus, qui blanditijs in animos illorum, qui præfunt, illi student; qui nouis sumptibus & pompa se alijs præferūt, & equalitatem tollunt; patriam corrumpunt, non amant. Ostendendum est, Urbem Romanam communem omnium Christianorum esse patriam, in qua est sita sacrosancta Sedes Apostolica, pro qua vel mori pulcherrimum, & honestissimum est. Accommodare poterit hæc orator hominibus in oppidis, et etiam ruri habitantibus, & dicere, inde cognosci, si quis oppidum aut villam, in qua natus est, diligat, si Ecclesiam parochialem ornare studeat, si puerorum curam habeat, ac si filij essent; si res communes rectè administret: mortuos esse pro patria multos apud Romanos commemorabunt: multo æquius esse, mori pro defensione religionis, & multo optabilius nobis, qui vitam expectamus æternam.

Quomodò excitandi sint amici ad mutuum amorem.

Cap. IX.

INTERDV M excitans amicos, hoc est, homines ætate, moribus pares, electione inter se coniunctos, vt se verè diligant, hortetur: caueant, nè se mutuò blandis vocibus amicos & fratres appellantes, odio habeant: nè domestici sint inimici, animarum suarū interfectores; sanctum nomen esse amicitie, consensionem animarum in sancta religione, in amādo Deo, in Christianis virtutibus exer-